

14475

THESES MEDICÆ
inaugurales

De
**PALPITATIONE
CORDIS**

Quas
CHRISTO DUCE & Auspice
Decreto & auctoritate

Magnif. Amplifs. & Gratosiss.
Synedrij Medici

In celeberrimâ Rauracorum Basileâ
Pro summis in arte Medicâ honoribus
ac privilegijs impetrandis
Myſtis Apollineis, Candidatis ac Studioſis
Publicè discuſtiendas & placidè ventilan-
das proponit

MICHAEL CRUSIUS Sa-
ganenſis Sileſius

In aula Machaonia
Ad diem 19. Maij
Horis conſuetis.



B A S I L E Æ,
Typis Johannis Schrœteri Anno 1609.

Pathol. spec.
387,28 *cn*



*Nobilissimis, Amplissimis, Consul-
tissimis, Integerrimisq; Viris*

DNN. CONSULIBUS,
PRAETORI, SENATORIBUS,
SCABINIS ET TRIBUNIS.
Reipubl. Saganensis spectatis-
simis & vigilantissi-
mis,

PATRIBUS PATRIÆ,

*Patronis ac Fautoribus omni observan-
tiâ colendis*

In debitæ gratitudinis
symbolum

Hæc theses inaugurales

Offert & dedicat

MICHAEL CRUSIUS
SAGANENSIS
SILES.

Aus der
Schloßbibliothek zu Oels
1885

Handwritten text on a rectangular piece of paper, possibly a library label or a page from a book. The text is faint and mostly illegible due to fading and bleed-through. Some words are difficult to discern but appear to include "Bibliothek" and "1885".



Ratio Propositi.

CVM caloris nativi tanta sit vis & prestantia, ut nulla in corpore nostro pars, actiones suas obire, sana ac salva persistere, nisi eo perfundatur, possit: omni studio incumbendum erit; ut is, in suo naturali statu conservetur, & ab omnibus causis ipsum infestantibus immunis reddatur: Hoc autem fieri nequit, nisi eius fons, origo & domicilium, quod Cor est, firmum sit ac sanum; Id verò cum gravissimis passionibus & morbis sit subiectum, & huius peior sit, quam aliorum membrorum, conditio, cum cetera membra morbo obsessa, cordis auxilio liberentur, hoc verò affectum, ni propria virtute & vi insita, infestantem superet morbum, à nullo suppetias expectans, hostiliter expugnetur & destruat; necessitas ipsa expostulat, diligenter eius morbos investigare: Sed cum ratio institui non ferat, omnes particulatim pertractare hoc loco & tempore: ideo unicum eligere affectum malui, qui Palpitatio cordis dicitur, operaque pretium me facturum existimavi, si huius doctrinam thesibus comprehensam, veritatis investiganda gratia, in medium proponerem, publicaque censura subijcerem.

N O M E N.

I.

ΠΑΛΜΟΣ ΚΑΡΔΙΑΣ Græcis, Palpitatio Cordis Latinis, à symptomate & parte affecta nomen sumpsit: à nonnullis perperam Cardiaca passio appellatur: cum Cardiaca, Cardialgia seu Cardiogmos, teste Galeno, non cordis; sed oris ventriculi affectus sit.

D E F I N I T I O.

2. Est autem Palpitatio cordis, motus depravatus pulsatilis virtutis cordis ab usu aucto incitati.

3. Palpitatio enim cordis plurimum ab aliarum partium palpitatione differre videtur, & non simpliciter & solum à causa morbifica perficitur, ut in

alijs partibus, sed est motus depravatus pulsantis virtutis, stimulatae atq; incitatae ab usu eius actionis aucto, ab hoc itaq; causas Palpitationis Cordis inquire duxi.

C A U S A E

4. Eæ sunt triplices, vel spirituum vitalium defectus; vel caliditas præter naturam; vel alienum quid, quod cor expellere nititur.
5. Depravatur motus cordis, ob spirituum vitalium defectum, non tamen immodicum, qualis in Lipothymia & syncope accidit, Sed mediocrem, quem natura, crebritate & frequentia pulsus cordis, compensare potest.
6. Accidit hoc ob evacuationes immodicas, dolorem vehementem, tristitiam, inedia & alia.
7. Caliditas præter naturam, spiritus una cum sanguine infestat, nõ tantum quod tunc efferuescentes inquieti sint, sed & quia tunc citius absumuntur, inde fit ut quæ cito deperditur & infestatur, tali motu augeatur & refocilletur.
8. Accidit hoc à calore solis, vel ignis, motu nimio & ira.
9. Est & aliena substantia, à qua cor irritatum, ipsam tanquam noxiã, expellere conatur, & ob id pravo atq; concitato motu movetur, hæc aut est solida, aut humorosa, aut vaporosa.
10. Solida est, ubi cordi, aliquid externum occurrit, quod illud pungit, rodit & rumpit.
11. Humorosa substantia est, qua cor, interdum secundum propriam substantiam, molestat & inflammatur: interdum secundum pericardium: nonnunquam citra inflammationem & tumorem.
12. Cor molestat inflammatione, à succo bilioso & sanguineo, & hæc potest esse, vel simplex vel mixta cum soluta unitate: quæ tamen mortem potius quam palpitationem efficit.
13. In pericardio tumor excitatur, sive is sit scirrhosus, humorisq; ex-pers; sive humorem in se contineat, qualis est pustulis, quæ Hydatides appellantur, effundi solet: cuiusmodi tumores, in dissectis cadaveribus interdum inveniuntur.
14. Vel etiam citra inflammationem molestat, à materia humorosa, dum, vel ab eius vitiosa qualitate, vel ab eius mole premitur.
15. Vitiosa qualitate, cor molestat, dum humores venenati, corrupti, putridi, acres & calidi nimis; vel etiam frigidi & sicci, quod fit ab humore melancholico, cor petunt.
16. Mole & copia cor premitur, in vulneribus interdum, in quibus sanguis in cor irrupit, nec non in nimio timore, ubi ita ad cor retrahitur; ut ab eo interdum suffocetur.
17. Vapores palpitationem efficiunt, qui peccant qualitate, vel manifesta, vel occulta.
18. Si occulta; vel prodit à causa externa, ut venenis assumptis, morsibus ferarum & ab aere corrupto.
19. Vel à causa interna, ut in febribus pestilentibus, vel dum ab aliqua parte maligno humore scatente, ut ventriculo, utero, menstruum retentione, Hepate, Liene, Hypochondrijs; vel etiam pulmone, vapores ad cor maligni mittuntur.
20. Si est manifesta qualitas, tunc est: vel excrementum fuliginosum: vel vapor biliosus; vel melancholicus & atrabilarius.

D I F F E R E N T I A.

21. Ex hisce iam patet, cor modo κατ' ιδίω πάθειαι, modò κατὰ συμπάθειαι affici.

22. Κατ' ιδίω πάθειαι affectu existente, in ventriculis & cavitatibus, vel etiam in ipsa substantia cordis.

23. Κατὰ συμπάθειαι, quando initium existit; vel in pericardio, Hypochondrijs, Liene, utero, præcordijs, Hèpate, Pulmone.

24. Differentiæ etiam aliæ constitui possunt, pro diversitate causarum, quæ inde petendæ.

S I G N A D I A G N O S T I C A.

25. Spirituum defectus, deprehendetur ex causis spiritus infestantibus.

26. Calor præter naturam iudicatur ex pulsu, prout ipse diversus. Nam si calor sit æqualis & similis, pulsus erit æqualis; si dissimilis, erit aliquomodo inæqualis.

27. Si fuerit aliena substantia, cor ad talem motum depravatum irritas, cognoscetur ex ægri & astantium relatu, tactu & ipso visu.

28. Pro diversitate humorum peccantium, diversa adsunt signa, quæ ab ipsis humoribus petenda.

29. Κατ' ιδίω πάθειαι inductam esse deprehendemus ex eo, quod pars illa, primò afficiatur, atq; permanentem dispositionem obtineat.

30. Κατὰ συμπάθειαι afficitur illa, quæ patitur cum alia, vel, quòd debitum non transmittatur, vel quod non debitum transmittatur.

P R O G N O S T I C A.

31. Palpitatio Cordis ob defectum spirituum vitalium contemnenda non est. Nam syncope superveniente, ad mortem proxima via est.

32. Affectus hic est vehemens & periculo non caret: ratione nobilitatis & necessitatis partis affectæ; variat tamen, pro diversitate causarum.

33. Si fiat hoc malum à calore, ira nimia & vehementi agitatione, nec hoc periculo vacat; cum referente Excellentiss. Dn. D. Plätero Præceptore nostro observando, nobilis quidam, ex hac causa subito extinctus fuerit.

34. Palpitatio, à cordis producta morbis instrumentarijs, citius interimit; quàm ab eiusdem orta intemperie: minus periculosa, quæ, per consensum aliarum partium, accidit.

35. Funesta quoque est, quæ fit ab humoribus & vaporibus venenatis, malignis, putridis & qualitate occultâ: minus, manifesta, cor infestantibus.

36. Frequens hoc malum est virginibus, causa suppressorum menstruorum, malum acquirentibus habitum, melancholiaq; Hypochondriaca laborantibus.

37. Metallorum etiam fossores, Carbonarij, excoctores item metallorum, ad hoc malum sunt perpensi.

I N D I C A T I O N E S.

38. Exploratâ iam signorum varietate, ad curationem accedendû, præmissis Indicationibus, quæ; quid agendum; quid non agendum, satis monstrabunt.

39. Virtus in primis, cordis conservanda & corroboranda, propter eius nobilitatem & necessitatem.

40. In spirituum defectu, eorum procuranda generatio & nutritio, omniaq; his infensa tollenda.

41. Intemperies calida, contrarijs alteranda; sive ab ira, motu, vel alijs excitata.

42. Materia faciens tumorem & angustiam, indicat sui evacuationem, soluta unitas, si adsit coniuncta; uniuersa, quæ tamen citius hominem è medio tollit, quàm sanatur.

43. Vapores & humores, si peccent manifestâ qualitate, alteratione temperandi: Occulta, maligna & venenata, extirpanda Antidotis & Alexipharmacis.

44. Quod, si per consensum, aliarum partium hæc fiat, ijs partibus, quæ cordi hoc vitium, communicant, succurrendum.

45. Instrumenta quibus possumus satisfacere Indicationibus, desumenda erunt: vel ex Diæta: vel ex Pharmacia: vel ex Chirurgia.

D I Æ T A.

46. Diætam quod attinet, hæc consistit, in proba observatione sex rerû non naturalium, in qua magna pars curationis continetur.

47. Aëris ea potiss. ratio habenda, ut ita temperetur, ne illius, aut defectu, impuritate aut malignitate; vel spirituum inopia; vel calor præternaturalis augeatur; vel alienum quid cordi molestum, inducatur.

48. Odores adhibendi sunt suaves Plantarum, modò calidarum, modò frigidarum, modò temperatarum, pro diversitate & causarum & temperamentorum, habita quoq; ratione sceminarum, quæ obnoxia sunt uteri suffocationibus.

49. Atq; ad hanc classem pertinent, Ambra, Ladanum, Lignum Aloës, Moschus, Styrax, Rosæ, Violæ, Santali, Camphora, Fol. Melissæ, Ocyimi, Rad. Caryophyllatæ, Angelicæ, Cort. Citri sicci.

50. Alimentum convenit, quod facile & celeriter per corpus distribui potest, & spiritus reficere: in quorum censu sunt: Ova sorbilia, Carnes Caponum contusæ, commixtæ aq. Rosata, una cum speciebus Cordialibus, Medulla panis in Vino infusa, Corda animalium, quadrupedum & volatilium comesta, sæpè proprietate iuvare creduntur, in hoc casu, præsertim assa, caryophyllis fixa prius; referente Dn. D. Platero.

51. Potus sit in defectu spirituum vitalium Vinum, quod Vitalium spirituum regenerator maximus; vel si calor adsit, diluatur aqua, in qua Melissa & Borrage coctæ fuerint: In copioso sanguine & inflammationibus internis, evitetur.

52. Exercitiû vitetur immodicum: somnus & quies moderata, conducent in spirituum inopia; nisi fortè hæc eveniat, ex materia maligna & venenosa.

53. Affectiones animi, ira nimia, metus, tristitia & similia, omninò excludenda.

P H A R M A C I A.

54. Ex medicamentis ea perpendenda, quæ corroborant, alterant, evacuant, & proprietate quadam, venenosis vaporibus & halitibus, sunt adversa.

55. Corroborantium, quædam manifesta qualitate, quædam occulta vi, cor stabiliunt.

56. Mani-

56. Manifesta qualitate, & quidem temperata agunt, Borrage, Buglossum, Cortex Citri, Crocum modice sumptum.

57. Minus temperata, habent qualitates manifestiores primas, ex quibus sunt, quæ habent vim refrigerandi, ut Violæ, Rosæ, Nymphæa, Ribes, Acetum, Santali, succus granatorum.

58. Cor simul refrigerant & roborant, Manus Christi perlata, Diamargarit. frigidum, Diatrion, santalon, Syrup. Acetof. simpl. Acetositat. Citri, Limonum, Arantior. Acetof. de pomis.

59. Hoc tamen sic observandum esse putamus; ut semper refrigerantibus, calida admisceantur, respectu virtutis cordis conservandæ, quæ consistit, in defensione caloris innati, spirituumq; vitalium.

60. Quod si calidioribus opus, possumus uti: Ambra, Storace, Calamintha, Moscho, Ligno Aloës, Cinamomo, Caryophyllis, Ocymo, Angelica, Melissophyllo, Diambra, Diamargarit: calidi, Diamoscho dulci.

61. Occulta qualitate, cor stabiliunt, Margaritæ, Sericum, Hyacinthus, Smaragdus, Coralli, Os de corde cerui & alia huius generis.

62. In hoc casu, medicamenta ex corallis, & Perlis arte chymica præparata, maximopere commendantur.

63. Evacuant materiam peccantem, Electuar: rosat. Mesue, Diasena Nicolai, Polypod, Epithymum, quæ tamen moderatè danda, admixtis semper Cardiacis.

64. Venenis proprietate quadam resistunt, Theriaca, Mithridatium, Aq. Theriacales & odoratæ, cunctaq; quæ specifici veneni vim frangunt, atque in febribus pestiferis commodissimè adhibentur, quæ etiam ut plurimum sudorifica existunt.

65. Matthiolus, Melissæ proprium esse scribit imbecillitatem cordis roborare, quod comprobatur Auicennæ testimonio; Forestus, eandem commendat, cui addit Borriginem, has contritas supra regulam mundam ignitas positas, Aq. Rosar. & aceti momento, irroratas, cordisq; regioni admotas, miraculi seu incantamenti modo, cordis Palpitationem sedasse, scribens, præmissa Venæsectione.

66. Rondeletius commendat Aq. quæ Rec. Corda Porci, Cerui vel Bovis Caryophyllos, Galang: maior: & minor. sem. Basilicon. Maces, Flor: Bugloss. Borrage: Anthos, cum vino Malvatico destillatam, cui in usu parum facheri admiscet, quam Forestus quoq; commendat nimirum ubi Melancholicus humor abundat. In calido affectu, addit. Aq. Rosar. & utitur cum Aq. Bugloss. & Borrage.

67. D. D. Platerus efficacissimam esse scribit seqq. que Rec. Corda Cervi vel Bovis, vel Porci, avium, & præsertim Perdicum: Cordialium Anthos, Fol. Maioran. Melissæ, Flor. Phyllitidos, sem. Ocymi, Citri, cort. citri. Caryophyll, Cinamomum, santalos, Lignum Aloës, Maceres, Zedoariam, Crocum, Moschum vel Ambram, cum vino Malvatico præparat.

68. Camphoram quoq; de collo suspensam, in hoc casu multum iuvare, scribit idem Dn. D. Platerus.

69. Quod si hoc malum per consensum aliarum partium fiat, prospiciendum, ut à parte mandate, materia peccans euacuetur, & diuertatur à parte recipiente, quæ & ipsa corroboranda convenientibus medicamentis.

CHI 20

CHIRURGIA.

70. Venæ sectionem quod attinet, hanc si sanguis abundet, vires & ætas ferant; suademus tanquam efficaciss. Remedium, hoc tamen obseruato, si malum det inducias, ut repetitis vicibus id fiat, quia laborat pars, cuius functio, pro conseruatione totius, omnium maximè necessaria est.

71. Quod si ægri verò sectionem non ferant, Locum suppleant, Cucurbitulæ & hirudines, Ligaturæ item & frictiones, ad auersionem, materiæ cor petentis, & infestantis. Atq; hæc de Palpitatione Cordis breuiter dixisse sufficiat.

Μόνω τῷ Θεῷ Δόξα.



Patrol. spec. 387, 28 cm